


SPARSUS VIENNÆ AUSTRIÆ,
IN FESTIVITATE SPONSALIORUM FERDI-
nandi Archiducis Austriæ, & Annæ Uladislai Un-
gariæ Regis filiæ. Anno Chri-
sti 1515.



UM Maximilianus Imperator audivisset, Franciscum I. Galliarum regem nuper electum, Mediolanensis Ducatus titulum assumpsisse: foedus cum Venetis confirmasse, Helvetiosque per eos dies tentasse, ipse quoque rem Austriacam vicinorum regum foederibus & affinitate aliquâ constabiliendam esse putavit. Itaque Joannem Cuspinianum ad Uladislauum in Ungariam, & nonnullos ad Sigismundum Poloniae Reges misit, qui eos, uti Viennam ad se venirent, invitarent. Id cum facturos audivisset, splendidissimo comitatu exceptos comiter admodum & magnificè Viennæ tractavit, nullo honoris festaque latitiæ genere omisso. Aliquot inde dies colloquiis & consultationibus dati. Erant Uladislao regi, ex Anna Gandala, liberi Ludovicus & Anna. De his ita inter ipsos convenit, uti ambo Austriacis illigati nuptiis, perpetuæ pacis, amicitiaque foedus confirmarent. Ad decimum Calend. Augusti, qui dies publice sponsalium confirmationi dictus erat, Maximilianus, utroque rege presente, Annæ coronam auream imposuit, & florenti ferto ab eâ donatus est. Hinc ad D. Stephani templum itum est, ubi peractis sacris verba præeunte Strigoniensi. Anna, accepto in fidem annulo, ita Maximiliano desponsa est, uti intra annum aut Carolo, aut Ferdinando conjungeretur. Ludovico Maria Caesaris neptis præsens, legibus itidem conjugij devincta fuit, lachrymas ubertim fundente Uladislao. His peractis ducenti viri militari dignitate donati sunt. Inde ad epulas, ludosque equestres, & choreas discessum est. Per eosdem dies, pax & foedus promulgatum, ex quo maximæ provinciis illis, & regnis commoditates redundarunt, in primis vero Austriacis Principibus ad Hungariæ, Boëmiaeque regna stratus est accessus. Undecimo namque anno post Ferdinandus, qui Annam duxerat, Ludovico à Turcis ad Mohacium oppidum cæso, utrumque regnum, ex foederis & matrimonij jure adeptus est. *Gerardus de Reo.*